



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Quæstio. An occisus in hoc ludicro torneamento privari possit sepulturá
Ecclesiasticá?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

QUÆSTIO.

An occisus in hoc ludicro torneamento privari possit sepulturâ Ecclesiasticâ?

Affirmabis fortè 1. quia ex una parte hujusmodi periculosa exercitia sunt omni Jure prohibita, Civili quidem in l. 1. C. de gladiator. ubi prohibentur *cruenta spectacula* unà cum gladiatoribus, Jure Canonico in c. 1. h. t. ubi vetantur *detestabiles illæ feræ, quas vulgo torneamenta* vocant, quibus æquiparari possunt hæc ludicra spectacula, & Jure Naturali, quod improbat ex condicte convenire, & congregari temere ad ostentationem virium ac audaciæ, vel ad oblectationem spectantium, aut ad lucrum à congregantibus captandum ubi periculum gravis vulneris, vel etiam mortis. Ex altera verò parte Jus Canonicum privat sepulturâ Ecclesiasticâ in tali congressu prohibito extinctos. c. 1. h. t. ergo. 2. quia in c. 2. eod. dispensativè admittitur ad sepulturam sacram, qui ad torneamenta accessit non animò ludendi, sed percipiendi credita, & ibi fortuito casu obiit susceptis ultimis Sacramentis: ergo etiam tale hastiludium exercens, si in area extinguatur licet per accidens, seclusa dispensatione & per se carere debet sepulturâ sacrâ.

Sed hæc non evincunt intentum, nec movere me possunt, ut assentiar; quin potius negativæ subscribo

ex hoc potissimum capite, quia Jura, quæ prohibent torneamenta & cruenta spectacula, atque puniunt privatione sepulturæ, nec formaliter nec æquivalenter loquuntur, nec intelligenda sunt de his ludicris exercitationibus, partim quia per se carent morali periculo mortis vel gravis vulneris infligendi, cum id rarissimè vel ferè nunquam soleat contingere, & si contingeret, per accidens eveniret & fortuito: ergo non est, cur tam gravis poena, deferretur à SS. Canonibus nullibi decreta, imò nec decernenda, dicatur incurri ab his gladiatoribus.

In contrarium allata non multum urgent, quamvis enim cruenta spectacula, & torneamenta, prout apud veteres Germanos in usu erant, meritò fuerint prohibita, sicut à Jure Naturali, ita à Positivo utroque & à Canonico etiam sub poena privationis sepulturæ sacræ, scilicet propter morale periculum vel mortis inferendæ, vel lethalis vulneris, quia indè *mortes hominum & animarum pericula sæpe proveniebant*, ut loquitur d. c. 1. eò quòd olim adhibita sint hastæ acutis cuspidibus armatae, aliæque arma per se apta ad graviter & lethaliter vulnerandum. In hoc autem ludicro hastiludio non appa-

ret morale periculum & per se mor-
tis vel lethalis vulneris, ferè sicut in
torneamentis, prout hodie insti-
tuuntur & pro non prohibitis habentur,
& fortè in titui solet non ex
multum dissimili causa, v. g. ad ex-
ercitationem corporis magis agili-
tandi, ad obtinendam peritiam tra-
standi arma ac se defendendi, & ad
honestam renuntiationem spectato-
ribus faciendam. Unde non antiqui,
sed moderni moris torneamentis
comparari aliquo modo possunt hi
iudi. Quòd autem in c. 2. cit. dicatur
corpus extincti, qui torneamen-

tum accessit & alia causa honesta, ut
hac occasione reciperet creditum,
dispensatione tradi posse sepultura
Ecclesiastica, id non est intelligen-
dum de *dispensatione speciali*, quasi
ea opus fuisset etiam tunc, quando
torneamenta adhuc erant periculosa,
proin multò minus nunc erit illà
opus, dum non amplius sunt peri-
culosa per se, sed de illa *dispensatione*
generali, qua conceditur omnibus
Christianorum, non notoriè de-
cedentium in peccato mortali, cor-
poribus sepultura Ecclesiastica.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello,

DECISIO CLVIII.

De Colonello ob non acceptatum vel oblatum Du-
ellum exauthorato.

SPECIES FACTI.

Novi virum perquam honestum,
quem Ulricum nomino, ex
plebe quidem oriundum, virtute tamen
& peritia bellica ex gregorio mi-
lite colonellum vel Centurionem
(*ein Hauptmann*) effectum, ad quod
nobile officium gloriosè eluctatus è
nobilissima quadam Germaniæ fami-

lia uxorem duxit. Fortè contigit, ne-
scio qua de causa, ut Ulricum alius
quidam primæ Nobilitatis, officio ta-
men non multum eminente supra
conditionem Ulrici fulgens hunc a-
rundinae (*mit dem Spanischen Rohr*)
ignominiose percuteret. Nobilitatem
congenitam Invaloris reveritus
nulla